

Werk

Titel: Der lateinische Text der "Bibliotheca Casinensis"

Ort: Erlangen

Jahr: 1913

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?345572629_0032|log28

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

22 Admiratio autem cunctos habuit circumstantes, quia laureâ coronantur. neque ad capillum dominatus fuerat in eis ignis, sed erant corpora splendentia super nivem. Et formidans imperator abiit in palatium suum; multitudo verò, quae circumstabat, exclamaverunt, dicentes: Magnus Deus Christianorum, unus *et* verus Deus Jesus Christus, *et* non est alius, quia [servavit Sanctos suos, *et*] nec in capillis eorum dominatus est ignis. Occultè verò Christiani tollentes corpora Sanctorum, deposuerunt in celeberrimo loco, *et* postquam sedata est persecutio, ibidem oratorium construxerunt, *et* deposuerunt eos, celebrantes memoriam reliquiarum Sanctorum Kal. Novemb. Illa est vita [sanctorum ac inelytorum Martyrum] *et* hic finis gloriosi eorum certaminis. Omnes ergo, qui merentur celebrare memoriam eorum *et* invocare eos in praesidium, impetrant, quae promissa sunt Sanctis, per gratiam Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, cui est gloria *et* potestas in saecula saeculorum. Amen.

Bibliotheca Casinensis, III, Florilegium, p. 351—4: Passio sancti Eustasii et uxoris et filiorum ejus¹⁾.

[p. 351, 1. Sp.] In diebus trajani imperatoris, idolorum cultura ipso auctore pollebat. Erat autem ea tempestate magister militum quidam nomine placidas, nobilissimus et ditissimus valde, tam in animalibus quam in auro et argento et mancipiis, ac universis rebus substantiae suae. Qui quamvis paganus existens studebat subvenire miseris, et necessitatem patientibus vivendi substantiam ministrare, ita ut acceptabilis fieret coram domino deo in operibus suis. Erat autem idem placidas magister militum strenuus bellator, et in praeliis triumphator, ita ut audito nomine eius contremiscerent et effugarentur saepius adversarii eius. Erat vero ei consuetudo venandi, et dum exisset secundum consuetudinem suam ad venandum, apparuit ei grex cervorum, inter quos erat unus pulcherrimus, et omni decore mirabilis. Quem videns praedictus magister militum, relictis omnibus qui apparuerant ei ipsum tantum persequabatur. Et deficientibus ad persequendum secum euntibus ipse solus persecutus est eum in silvam condensam, et pertransivit cervus in verticem montis, et stetit super saxum in loco altissimo, et non praevaluit placidas appropinqua [2. Sp.] re ad cervum, stetitque cogitans qualiter posset capere eum. Et dum consideraret magnitudinem eius ostendit deus magnum miraculum super cornua eiusdem cervi, et apparuit signum sanctae crucis super claritatem solis illustrans eum, et vidit inter media cornua eius imaginem salvatoris, cuius vocem audivit dicentem sibi: O placidas, ut quid me persequeris?

1) Ich scheide zwischen Punkten, Doppelpunkten und Kommata; der Druck bringt überall erstere, ausser einigen Strichpunkten am Schluss.

ego sum ihesus, quem tu ignoras, in elemosinis et actibus bonis, visus es venerari. Propter quod apparui tibi, ut per cervum venarer te, et mitterem in retia venationis meae.

Quo audito magister militum expavit, et pre timore cecidit in terram. Et iterum elevans caput, intueri coepit mysterium visionis suae. Et dixit ei dominus: noli timere, sed conserva quae dico tibi, credens fiducialiter, ut non pereas sed habeas vitam aeternam. Et dixit placidas: credo domine quia tu es qui revocas errantes, et erigis cadentes, et resuscitas mortuos. Et dixit ei dominus: si ergo credis, vade et exquire sacerdotem christianorum qui te abluat a sordibus paganorum per lavacri fontem et baptismum regenerationis. At ipse dixit: si vis domine indicabo haec filiis meis et matri eorum. Et dixit dominus: vade et indica eis, ut et ipsi credant, et habeant vitam aeternam. Et veniens magister militum indicavit haec uxori suae et filiis. Et dixit ei uxor sua: O domine, tu vere deum vidisti quem christiani venerantur. Nam et ego praeterita nocte in visu agnovi magnitudinem mysterii huius. Vidi enim gloriosissimam speciem viri dicentis michi: ecce vir tuus et filii tui una tecum adhaerebunt michi per baptismum, ut non pereatis, sed aeternam vitam possideatis. Credo ergo quod ipse ad me locutus est, qui et tibi apparuit, festinamus itaque adimplere quaecumque nobis praecepit. Et mox inquirentes invenerunt quendam sacerdotem christianorum, cui dum occulte indicassent mysterium visionis suae baptizati sunt ab eo in nomine patris et filii et spiritus sancti. Qui videlicet sacerdos placidam nominavit eustasium, et primogenitum filium eius nominavit agapitum, et fratrem eius theopistum, matrem vero eorum nominavit theopisten, et facti sunt participes communionis corporis et sanguinis christi.

Deinde post baptismum abiit beatus eustasius in locum montis ubi apparuerat ei dominus, in quo loco oranti iterum locutus est salvator dicens: bea-[p. 352, 1. Sp.]tus es vere quia suscepisti baptismum salutis, et regeneratus es in nomine patris et filii et spiritus sancti ad vitam aeternam. Sed dico tibi quia in hoc praesenti saeculo supervenient tibi tribulationes, temptationes, et pericula multa, donec pereant omnia quae habere in hoc mundo inventus es. Oportet enim te in his temptationibus existere similem iob. Et iterum cum humiliatus fueris in temptationibus tuis, visitabo te in bonis, et restaurabo te in consolationibus multis, donec pervenias ad martyrii triumphalem coronam. Deinde cum redisset eustasius in domum suam, coepit decidere familia eius in aegritudinem, et in languores multos, donec consumpti sunt omnes in mortem, similiter et omnia animalia eius. Latrones etiam venerunt diripientes omnia de domo eius, aurum scilicet et argentum ac vestes multas, et nichil aliud remansit ei nisi duo filii sui et mater eorum. Unde non sufferentes inter quos noti fuerant confusionem vere-

cundiae suae, recesserunt occulte noctu ut transirent in aegyptum, et pervenerunt ad mare, et ingressi sunt navem ubi erant barbari et irrationabiles homines.

Et cum pervenissent ad portum, coepit dicere nauclerius quia concupierat mulierem eius: da mihi naulum meum. Et quia non habebat quod daret, tenuit nauclerius uxorem eius. Sed dum non quiesceret eustasius postulare eum pro uxore sua, praecepit nautis suis ut iactarent eum in mare. Et quoniam sensit eustasius nauclerium insidiantem sibi, subito accipiens occulte duos filios suos dereliquit matrem eorum apud nauclerium, et fugiebat, plorans et gemens, dicensque: ve vobis filii mei, quia mater vestra derelicta est viro alienigenae et irrationabili homini. Et euntes cum lacrymis et tristitia multa, pervenerunt ad quoddam flumen. Et dubitavit eustasius introire in flumen cum filiis propter abundantiam aquae, et reliquit unum eorum ad ripam, et alterum super humeros suos deportavit ad alteram ripam, et coepit reverti ad filium quem reliquerat. Sed antequam perveniret ad ripam, prospiciens vidit leonem rapere filium suum, ad quem pergebat, et coepit redire post se cum gemitu et fletu et gravi dolore ad filium quem deportaverat ad alteram ripam, et prius quam exiret de flumine ut perveniret ad eum, venit lupus et rapuit eundem filium eius. Egressus [2. Sp.] vero eustasius de flumine, erat trahens capillos suos, et plorabat amarissime filios suos, et cogitabat semetipsum in aquam praecipitare, sed non permisit eum dominus deus, providens illi bona quae erant ei futura. Tunc leo qui rapuerat filium eius cum deportaret eum, fugatus est a pastoribus et a canibus et reliquit puerum illesum, et ipse ignorans quid actum esset de patre eius habitabat cum pastoribus temporibus multis. Et frater eius qui raptus erat a lupo liberatus est ab aratoribus, ignorans quid actum esset de patre vel fratre, et habitavit cum illis a quibus liberatus est multis temporibus. Eustasius vero dum esset in amaritudine et doloribus multis, dicebat: ve michi qui aliquando florebam sicut arbor florida et fructificans, et ecce nunc expoliatus sum et denudatus omnibus bonis. Sed tu domine omnipotens et misericors non derelinquas me, neque despicias in tribulationibus meis. Recordatus sum enim quod dixisti, quia oporteret me velut iob sustinere tribulationes et temptationes multas, sed consideravi quia iob quanquam a facultatibus suis exinanitus fuisset, habuit tamen amicos qui consolarentur eum. Ego vero agrestes feras inveni quae pro consolatione devoraverunt filios meos. Iob et si privatus fuit filiis et omni substantia, tamen uxorem suam secum habuit pro aliqua consolatione temptationis suae. Ego vero et ab uxore viduatus sum. Sed quid dicam? Nisi tu domine tolerantiam et sufferentiam concedas michi, et ponas custodiam ori meo ut non peccem tibi. Deinde beatus eustasius veniens in quendam locum, coepit ibi operari manibus suis, donec fecerunt eum homines

eiusdem loci custodem agrorum suorum, et vivebat ex iis mercedibus per singulos annos, quod faciens adimplevit in eodem loco quindecim annos. Naclerius vero perduxit mulierem eius in patriam suam, sed talem fecit dominus deus virtutem cum ea, ut non prevaleret violare eam. Deinde contigit ut in brevi tempore naclerius moreretur, et mulier absoluta est ad faciendum quod illi placeret. Post aliquot vero tempus dum a barbaris eiusdem loci vastarentur fines romanorum, coepit imperator inquirere quid actum esset de placida qui fuit magister militum, cuius fortitudine et industria saepius effugati fuissent alienigenae, et misit idem imperator duos milites qui vocabantur antiochus et agarius ad inquiren-[p. 353, 1. Sp.] dum eum per omnes provincias sub imperio eius. At ipsi euntes dei nutu pervenerunt ad vicum in quo eustasius erat custos agrorum, et viderunt eum sed non cognoverunt. Ipse vero cognovit eos, et salutatus ab iis resalutavit eos dicens: pax vobis amici et fratres. At ipsi dixerunt ei: Rogamus te ut dicas nobis si forte vidisti vel audisti aliquid de magistro militum qui placidas vocabatur. Et ipse dixit: et quae causa est vobis ad inquirendum eum? Et dixerunt ei: quia magnus amicus noster fuit. Unde qui indicaverit ipsum nobis, remunerabimus eum magno dono. At ipse dixit: ego hic peregrinus sum, et quomodo novi quem quaeritis? Sed rogo vos venite et reficite apud me. Quos consentientes sibi perduxit in hospitium suum et prae-paravit quod comederent ipsi apud eum. Qui dum reficerentur, paulatim in corde suo cogitare coeperunt quod hic esset consimilis illi qui ab eis quaerebatur. Et dixerunt ad invicem: Si hic homo signum cicatricis habet in collo suo quod nos scimus, vere ipse est. Quo dicto, erigentes se viderunt in collo eius signum, et exclamaverunt cum gaudio magno dicentes: Vere tu es magister militum placidas quem nos quaerebamus. Quae omnia nota facta sunt in illis locis. Tunc vero quamvis nolentem et recusantem honorem saeculi huius, perduxerunt eum ad imperatorem, de quo imperator valde laetus effectus, constituit eum esse caput exercitus, et congregati sunt ad ipsum ex omni provincia milites, inter quos venerunt et duo filii eius qui a feris fuerant liberati, nescientes inter se quod fratres essent, et erant consimiles, rufi capillis et facie supra ceteros pulciores. Et placuerunt eustasio in decore aspectus et in eloquentia oris sui, et fecit eos centuriones, ignorans quod fratres essent vel filii sui. Et audita est inter barbaros opinio quod placidas preliator exisset in bellum contra eos, et nocte recesserunt barbari in solum proprium. At ipse profectus cum exercitu transivit danuvium, et occupavit provincias multas, donec pervenit in quoddam oppidum, quod se tradidit ei ne cum pereuntibus damnaretur. Et erat in ipso loco mulier ei assistens ad fenestram tabernaculi, ut videret exercitum applicantem. Et ecce illi duo iuvenes qui erant centuriones, ingressi sunt in quendam hortum qui erat iuxta tabernaculum in quo assistebat

mulier supradicta, quae per fenestram intue- [2. Sp.] batur eos, et ignorabant quod esset mater eorum. Sed et ipsi inter se nesciebant cognationem suam, vel quod essent fratres et filii eiusdem mulieris. Et dum ibidem colloquerentur de infantia sua ad invicem, referebat unus ad alterum: ego recolo quod pater meus magister militum fuit, et mater mea pulchra facie et magno decore, et frater meus rufus capillis et facie pulchra. Egressi autem occulte nocturnis horis, nescio quo nos pater noster cum matre ducebat, donec introivimus navem. Deinde exeuntes de navi matrem nostram non vidimus, nescientes quid actum esset de ea, et ibat pater meus cum fletu et gemitu, donec pervenimus ad quoddam flumen. Et reliquit me pater meus in ripa, et portans fratrem meum minorem ad aliam partem transivit. Qui dum ad me rediret ut similiter me transportaret, rapuit me leo, sed liberatus sum a pastoribus et habitavi cum eis temporibus multis. Quo audito frater eius, erigens se et exultans cum lacrimis dixit: per virtutem christi ego sum frater tuus, quia quae recitasti omnium memoror, et quia me pater meus trans flumen deportavit, et dum ad te ipse rediret, ego a lupo raptus sum, sed liberaverunt me aratores, et habitavi cum eis multis temporibus. Quibus dictis erant in gaudio magno, amplectentes se et osculantes in magna caritate fraternitatis, quia post longum tempus invicem se recognoscere meruerunt. Tunc praedicta mulier mater eorum assistens ad fenestram tabernaculi, valde mirabatur si ipsi essent, vel si viverent filii eius. Et exiens cito mulier, de tabernaculo ad interpellandum pro se principem exercitus romanorum, eo quod ibidem captiva detineretur. Ut vidit eustasium recognovit eum, et proiecit se ad pedes eius dicens: ego sum quae derelicta sum in navi apud nauclerium, et alienigena non tardavit, sed cum omni celeritate defunctus est. Et testis est mihi dominus qui operatus est mecum hanc virtutem, quia neque ipse neque alius me contaminavit. Quo audito eustasius, recognovit eam, et conversus in gaudium benedixit dominum propter praesentiam eius, et dixit ad eam: filii nostri a feris comesti sunt. At ipsa dixit: sicut et nobiscum ita et cum filiis nostris fecit dominus virtutem suam. Nam et audiui et vidi duos iuvenes loquentes et agnovi quia et tu pater eorum es et ego sum [p. 354, 1. Sp.] mater ipsorum. Quo dicto fecerunt eos venire in praesentia et referentes sibi ad invicem quae illis contigerant. Agnoverunt se et exultaverunt in magno gaudio pater et mater cum filiis suis. Et admiratus est omnis exercitus romanorum de iis quae illis contigerant. Deinde circumeuntes provincias, regressi sunt romam cum magno triumpho et gaudio, reducentes secum plures captivos, et spolia multa. Sed dum regrederentur mortuus est traianus imperator, et successit illi in imperium adrianus paganissimus, qui venit obviam eustasio redeunti de praelio. Eo quod fecisset victoriam, et congratulabatur ei cum exercitu suo pro triumpho victoriae eius, et pro inventione uxoris et filiorum eius.

Post haec ingressus est imperator in templum idolorum, et immolavit victimas diis suis. Eustasius vero non est ingressus in templum, sed neque uxor eius neque filii ipsius. Quo audito imperator, indignatus ad eustasium dixit: quare non introisti in templum ad offerenda libamina diis nostris? Et dixit eustasius: quia ego christianus sum, et christum regem coelestem adoro, qui me triumphare fecit, et uxorem et filios meos de multis periculis liberavit. Tunc iratus imperator, fecit eum cum uxore et filiis suis in arena recludi, et leonem ad eos devorandos dimitti. Quos videns leo, territus capite inclinato recedebat ab eis. Et videns imperator tale miraculum, amplius est indignatus, et fecit bovem aereum igne succendi ut in eo recluderentur ad comburendum. Sed prius quam in vase aereo igne succenso recluderentur, oravit eustasius dicens: Domine deus omnipotens ad te clamamus, tuamque clementiam deprecamur, ut fiant corpora nostra per hunc ignem velut incensum in conspectu tuo, et omnes qui nostri memoriam fecerint percipiant hubertatem in terris, et consequantur de coelis tuae gratiae largitatem. Et hoc nobis domine praestare digneris, ut in uno loco recondantur corpora nostra. Ut qui viximus separati temporibus multis, amodo in uno sepulcro adunati praevaleamus subvenire languentibus vel aegrotis, et omnibus qui in quacumque tribulatione fuerint constituti et nostri memoriam fecerint, ut ex hoc cognoscant omnes quia recepisti nos in gloria regni tui. Quo dicto, facta est vox de caelo dicens: exaudita est eustasi oratio tua, et ita facio omnia [2. Sp.] sicut postulasti, ut sciant omnes quia dedi vobis coronam victoriae, et palmam triumphalem in coelis. Deinde missi sunt a paganis in vas aereum igne succensum. Et sic ymnus deo dicentes, suscepti sunt ab angelis in coelum et de corpore recesserunt. Sed nec capillus de capite eorum, nec ulla pars vestimentorum aut corporum ab igne combusta est, sed illesi de vase aereo educti sunt. Quos videns imperator cum ministris suis¹⁾, valde sunt admirati, quod neque vestimenta corporis¹⁾, neque capillos capitis¹⁾, nec ullam partem membrorum incendia contingere praesumpsissent. Et dicebat imperator: Vere hoc magicis artibus actum est ut ab igne non cremarentur. Sed multitudo magna ex populo dixerunt¹⁾: vere magnus est deus christianorum. Deinde superveniente nocte¹⁾, occulte de loco illo a christianis sublatis sunt, et in uno loco sepulti. Ubi pacis tempore quiescente persecutione basilica fabricata est, quorum natalicia sacra devotione mensis maii die vicesima celebramus, ut ipsorum intercessionibus adiuti¹⁾, ad perpetua gaudia pervenire mereamur. Per ihesum christum dominum nostrum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

1) Im Druck steht ein Strichpunkt.